



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, M.DCCXI

Sectio Qvarta. Solvuntur objectiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84777](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84777)

cibilibus speculative falsa est practice vera.
Ut enim paucis verbis rem totam concludit
P. Vasq. *l. c.* toties ratio est recta, quoties
est conformis regulis morum, non autem
necesse est, ut sit conformis rei, quam enun-
tiat: ergo volitio tali rationi conformis erit
moraliter recta.

N. Confirmo : quia non omnis conscientia
108. speculativè vera est moraliter recta; nec om-
nis moraliter recta est speculativè vera; nam
omnis conscientia temeraria, & improba-
bilis, etiam fit vera, non est moraliter recta, &
omnis erronea invincibilis, etiam fit specula-
tivè falsa, est moraliter recta : ergo aliqua
speculativè vera non est moraliter recta, &
aliqua moraliter recta non est speculativè
vera: ergo aliqua moraliter recta potest esse
speculativè falsa, seu invincibiliter erronea.

P. Teril. Nam, ut ait P. Teril *qu.* 3. de Reg. mor. *n.* 74. Theologi potiùs in materia de Conscientià non respiciunt ad veritatem logicam, quia sæpe contingit homines aequè peccare sequendo conscientiam veram, ac falsam: ergo potiùs respiciunt veritatem ethicam.

N. Ex hac doctrinâ infertur 1. errasse P.
 109. Eliz. non tantum, dum docuit folam confici-
 P. Eliz. entiam veram esse rectam, sed etiam dum
 docuit folam conscientiam rectam esse ve-
 ram: primum patet ex dictis, ubi distinxi-
 mus veritatem à rectitudine, & quia si sola
 conscientia vera esset recta, error invincibi-
 lis non excusaret, immò qui sequeretur con-
 scientiam temerariam speculativè veram,
 bene operaretur: secundum etiam patet,
 quia sipe conscientia falsa est ethicè recta,
 nec tamen est vera; potest enim opinio pro-
 babilior, immò probabilissima, esse falsa, &
 tamen esse ethicè recta.

N. Intertur 2. iterum errasse dum in *Appen-*
dice de *Naturâ opinionis* qu. 9. initio docuit,
IIO. conscientiam erroneam non posse esse regulam
p. Eliz. morum, si enim loquatur de invincibiliter
erroneâ, non tantum excusat à peccato,
sed etiam est per accidens regula formalis
morum. Ratio est, præter allatas hic *scilicet* 1.
quia illud judicium est regula formalis morum,
per quod regula objectiva morum proponitur:
ergo omne judicium conscientie, siue prudenter verum, siue invincibiliter
falsum, proponens tale objectum esse honestum,
est regula formalis morum. Confirmo: quia æque
repugnat operationem humanam elici sine
regula formali, ac sine objectiva: sed repugnat
elici sine regulâ formali proponente objectivam:
sed judicium conscientie proponens obje-

ctivam est per omnes TT. regula formalis: ergo iudicium conscientia, sive verum, sive invincibiliter falsum, est regula formalis. Addit P. Teril. de Reg. mor. *qu. 35. n. 3.* omnes, excepto Celladei, supponere conscientiam invincibiliter erroneam esse regulam morum, tum quia excusat operationem ab omni malitia formali, ut ipsemet Eliz. docet; tum quia dat honestatem actui. Plura Teril. qui ita arguit contra Eliz. Per te ratio probabilis, si sit vera, est regula; peto modo de aliqua ratione particulari, an sit regula: dicere debes, Fortè est, fortè non est; sicut fortè est vera, fortè non est vera; ergo ponis regulam non regulam; ponis enim per regulam id, quod discernere non possumus à non regula: ergo frustra negas rationem invincibiliter erroneam esse regulam, cum & re ipsa regulet, & frequenter certò cognoscere possumus reflexe, quòd operatio non fuerit mala, sed bona.

SECTION IV.

Solvuntur objectiones.

§. I.

*Quia nullum difforme potest esse conforme : &
quia est oppositio inter conscientiam, &
legem Dei.*

S U M M A R I U M.

Arguitur, quia nulla conscientia speculativè falsa potest, esse conformis sapientiæ Dei, & principijs Synderesis speculativè veris, n. 111.

Ad ultimum conscientia dictamen, quod est quasi conclusio, non satis principia Synderesis directi, & reflexa, sed necessaria alia propositio, à quâ resulcet, n. II2. II3.

*Ostendo conscientiam non tantum presuppositivè,
sed formaliter logicè falsam, esse conformem
regulis morum, n. 114.*

Hoc S. Bonaventura valde egregie exponit, ibid. Quale sit objectum conscientie proximum, quale remotum, n. 115.

Idem judicium potest simul esse speculativum, & practicum; immò speculative falsum, & practice verum, n. 117.

Unde sumatur veritas, & falsitas speculativa,
unde veritas, & falsitas practica? n. 118.

DD. tuentes posse actum supernaturalem esse in-
trinfecè honestum, & extrinfecè inhonestum,
B. 119.

Idem judicium potest esse simul falsum, & verum, diverso genere falsitatis a veritate,
 n. 128.

Paritas horologij est aperte contra Celladei, n.
121.

Principia sapientia Divina, & Synderesis hu-
mana

mane directæ sunt regula objectiva, quoties obiectum cognoscitur ut est in se; reflexa, quoties subest cognitioni falsæ. n. 122.

Repugnat, ut opus sub diversis circumstantiis regulatur eâ regula, quâ ante. ibid.

Conscientia formaliter logicè falsa est conformis principiis reflexis. n. 123.

Principia, sive directæ, sive reflexa, Dei, & Synderesis, sunt, tum logicè, tum practicè vera; non ita ultimum dictamen invincibiliter falsum. n. 124.

Est falsum juxta id quod representat, & verum juxta id, quod dicitur. n. 125.

Nulla oppositio, sive inter principia directæ, & reflexa Dei, sive inter principia directæ, & reflexa Synderesis, sive inter voluntatem directam, & reflexam, Divinam, & humanam. n. 126. 127.

Nostre doctrina harmonia. n. 128.

Ostendo judicium logicè formaliter falsum esse practicè conforme principiis reflexis sapientiæ Divinæ, & humanæ. n. 129.

Cur principia directæ, & reflexa sint semper logicè vera, ultimum autem dictamen sit sepe logicè falsum? n. 130.

Palanco ait, quod falsitas speculativa non nisi judicio speculativo, non autem pratico conveniat, adeoque vult repugnare, ut conscientia dictamen sit simul speculativè falsum, & practicè verum. Rejicio. n. 131. 132.

N. 111. **O**bjicies 1. Nullum erroneum, & difforme potest simul esse rectum, & conforme; ut patet in indice solari, qui non potest simul esse rectus, & errans: ergo nulla conscientia erronea potest simul esse moraliter recta. Confirmatur: Regula morum, cui conscientia, ut sit moraliter recta, debet esse in dirigendo conformis, non tantum sunt prima principia Synderesis, & prudentiæ, sed etiam ipsa infallibilis sapientia Dei de objecto, circa quod versatur actus prudentiæ: sed nulla conscientia speculativè falsa, seu difformis suo objecto enuntiato potest esse conformis primis principiis necessario veris, & infallibili sapientiæ Dei de tali objecto; alias judicium falsum, & judicium verum de eodem objecto essent inter se conformia, quod repugnat: ergo nulla conscientia speculativè falsa potest esse moraliter recta.

N. 112. **U**t hoc argumentum evidenter solvam, notanda sunt diligenter, quæ dixi supra d. 5. dixi enim quod cum principia Synderesis tam directæ, quam reflexa, non sint satis ad ultimum conscientia dictamen de honestate, aut inhonestate operationis, ideo assumenda est alia propositio minor, quæ sit cognitio talis objecti, vel ut est in se, vel ut

est in mente nostrâ, quæ cognitio modo est actus scientiæ, modo prudentiæ, modo fidei Divinæ, modo humanæ, modo opinionis veræ, aut falsæ: rursus, neque hæc cognitio satis est, sed intellectus ex hac cognitione, & illis principiis deducere debet ultimam conclusionem; quapropter conscientia stat in hac quasi conclusionem, & applicationem primorum principiorum ad actiones particulares: ex. gr. Omne malum est fugiendum, mendacium est malum, ergo est fugiendum; vel, omne præceptum est implendum, mendacium pro tuendâ vitâ innocentis est præceptum, ergo est implendum. Ecce utraque consequentia primi, & secundi syllogismi est actus conscientia: non est autem necesse, quod conscientia sit semper conclusio formalis, satis ut virtualis, ut accidit, quoties intellectui evidens est honestas, aut inhonestas objecti, & actionis. Cum ergo ultimum conscientia dictamen sit quasi conclusio, aut consequentia, cujus minor potest esse speculativè falsa, ut patet ex secundo syllogismo; ex alterâ autem parte certum sit axioma, *Ex falso aliquando verum, aliquando falsum*; consequenter ipsa conscientia esse potest, vel præsuppositivè tantum falsa, quia supponit minorem, quæ est in se falsa, ut accidit in secundo syllogismo; & simul esse formaliter speculativè vera. Rursum potest conscientia esse formaliter speculativè falsa.

Hinc est, quod, ut argumentum solvatur, ostendi debet non tantum quomodo conscientia præsuppositivè tantum falsa sit conformis primis principiis Synderesis, immò sapientiæ Dei; hoc autem facile est, quia licet sit præsuppositivè tantum falsa, est tamen formaliter speculativè vera, ut accidit in consequenti secundi syllogismi; sunt enim duo judicia realiter distincta, quorum præcedens, nempe minor, est formaliter speculativè falsum; subsequens autem judicium, nempe consequentia, est tantum præsuppositivè falsum, formaliter autem, & speculativè verum; nam verum est, *licere mendacium suppositum ut præceptum*; in quo secundo judicio stat conscientia: ergo talis conscientia, licet præsuppositivè falsa, quia tamen est speculativè formaliter vera, est conformis illis primis principiis. Sed præterea ostendi debet, quomodo conscientia formaliter speculativè falsa, seu idem indivisibile judicium conscientia sit conforme primis principiis Synderesis, & sapientiæ Dei. Quare, etsi doctrina P. Suar. 1.2. d. 12. sect. 1. rectè ostendat, ut P. Suar. tantum conscientia judicium esse non tantum practicè, sed etiam speculativè verum; est enim speculativè verum, *licere mendacium*

cium suppositum ut praeceptum, per minorem, quæ est speculativè falsa; non tamen ostendit, quomodo, si unum sit indivisibile iudicium conscientiae, & erroneum, ex. gr. *mentire*, possit esse speculativè verum; imò non potest: conscientia enim dicens *mentire*, quia est praeceptum, vel supponit falsum, vel dicit falsum; nec ipse P. Moya tom. 2. qu. 9. n. 54.

P. Moy.

& 55. aliquid ampliùs dicit, quam dixerat P. Suar. ait enim P. Moya: Iudicium ultimū, quo voluntas nostra applicatur ad operandum in casu erroris invincibilis, aut opinionis probabilis falsæ, est secunda regula, & est regula formalis, & recta morum, & est ratio practicæ, & speculativè recta, quia non tantum causat electionem honestam, sed etiam est conformis rei, quam enuntiat, habet enim pro objecto non honestatem rei secundum se, sed ut proposita per actum prudenter imperatum, nec legem Dei absolute, sed legem Dei per accidens, (seu reflexam) & ex suppositione erroris invincibilis existentem, & ita undequaque est ratio vera, conscientiam rectam constituens. Hæc P. Moya. Verum, si P. Moya per *ratio vera*, intelligit *veram practicæ*, hoc concedo; est enim verum, mentiendum esse supposito praecepto: si *speculativè veram*, est falsum; nam tale praeceptum non datur, sed ex errore supponitur: ergo ille actus vel supponit, vel formaliter includit errorem speculativum. Quare, ut tota res melius penetretur,

S. Bona.

Notandum 1. ex S. Bonav. in 2. dist. 39. art. 2. qu. 3. ad 4. qui exponens, qualiter conscientia, cum sit naturale iudicium, possit esse erronea, ait: Conscientia non tantum procedit modo simplici, sed etiam collativo, & ideo conscientia, licet, prout stat in universalis, & movetur aspectu simplici, sit semper recta, ut tamen descendit ad particularia, & confert, potest fieri erronea, propter quod intermiscet se actibus rationis deliberativæ; & hoc patet sic: Conscientia enim Iudæorum ex ipso naturali dictamine dictabat, quod Deo sit obediendum; & ipsi postmodum assument, quod Deus præcipit nunc circumcisionem, & ciborum discretionem, & ex hoc formatur eorum conscientia in particulari, ut se circumcidant. Error iste non venit ex primo principio, quod verum est, sed ex assumptione, quæ non est conscientiae prout est naturale iudicium, sed potius rationis erroneæ, quæ spectat ad liberum arbitrium. Hæc S. D. quo nil clarius, & doctius.

N.

115.

Notandum 2. objectum conscientiae aliud esse remotum, aliud proximum. Remotum non tantum est illud objectum, circa quod

versatur voluntatis electio, aut omissio, cuius qualitatem moralem conscientia repræsentat, sed etiam esse potest ipsamet electio, aut omissio, quarum naturam moralem conscientia contemplatur. Proximum est ipsa electio, aut omissio, quam practicæ dicitur licitam, aut illicitam. Porro ipsa electio, aut omissio, quatenus à conscientia repræsentatur, ut licita, aut illicita, dicitur *objectum*; eadem autem quatenus à conscientia dictatur ponenda, aut omittenda, dicitur *opus*; quia cum illa electio sit objectum conscientiae speculantis rationem liciti, aut illiciti in eâ, bene dicitur objectum eadem electio; quia autem objectum conscientiae dictantis ponendam, aut non ponendam, est objectum conscientiae practicæ, melius dicitur *opus*. Quod autem idem indivisibile iudicium esse N. possit speculativum, ut contemplatur naturam electionis, & practicum, ut dicitur ponendam, nulla est difficultas. Similiter quod idem indivisibile iudicium speculativum, & practicum, esse possit speculativè falsum, & practicè verum, nulla etiam est difficultas, si res acutè penetretur, ut patet tum ex se, antec. tum ex responsione immediate addenda, tum ex ratione. Primò, quia potest iudicium practicè verum sequi ad iudicium speculativè falsum realiter distinctum: ergo etiam in eodem iudicio potest veritas practica sequi per nostram rationem ad falsitatem speculativam. Secundò, quia nulla est repugnantia, quod eidem rei competant duæ formalitates diversæ: sed falsitas speculativa, & veritas practica sunt tales; ergo possunt eidem iudicio competere.

Tertiò à priori; quia veritas speculativa non est nisi conformitas cognitionis cum objecto, quod contemplatur; & falsitas speculativa non est nisi difformitas cognitionis ab objecto, quod contemplatur, ex. gr. in nostro casu falsitas speculativa de naturâ electionis est, quod putetur licita, cum licita non sit, ut suppono: veritas practica cognitionis est conformitas cognitionis practicæ dirigentis, aut dictantis tale opus cum regulis prudentiæ, vel morum, vel artis, juxta quas dicitur tale opus; veritas autem practica operis est, quod opus sit tale, quale dicitur talis cognitio practicè vera, seu est conformitas operis in ratione directi, vel artefacti cum cognitione illud juxta artis, vel morum præcepta dirigente: falsitas practica cognitionis est difformitas in ratione dirigentis à regulis directivis, & falsitas objectiva practica operis est difformitas à cognitione practica, & regulis dirigentibus: sed non repugnat, ut idem indivisibile conscientiae iudicium

N.
118.

dicium de electione sit falsum, quatenus representat electionem, ut dicimus; sit verum, quatenus, supposita electione aut licita, dicitur cum ponendam, nam tale indivisibile iudicium est conforme huic principio morum, *Omne conceptum ut licitum, ita ut non dubitetur de opposito, potest licite poni, aut est ponendum*: ergo tale indivisibile iudicium potest esse speculative falsum quoad bonitatem electionis; & practice verum quoad positionem ejusdem; adeoque iudicium speculative falsum potest esse regula morum, quatenus in dirigendo est conforme ipsam regulis morum directivis.

N. Confirmo: Ut enim juxta Scotum in 2. diff. 40. qu. unica §. 2. & in 4. diff. 26. qu. 2. Ochanum, Aragon. Medunam, Sotum, P. Salas 1. 2. qu. 18. P. Granado 1. 2. contr. 2. tr. 9. d. 3. n. 2. P. Ripald. tom. 1. d. 56. a. sect. 2. &c. quos citat, & sequitur P. Ovied. 1. 2. tr. 4. contr. 7. n. 4. Riccius 1. 2. lib. 3. cap. 31. potest dari actus supernaturalis, honestus ex fine intrinseco, & inhonestus ex fine extrinseco, quatenus a pravo actu imperatus, qui actus supernaturalis erit simul meritorius, & demeritorius, ut vult P. Ovied. 1. 2. tr. 9. contr. 3. n. 86. P. Ripald. loc. cit. 7. n. 4. qui allegat S. Thomam, Navarrum, Granado, & alios, cujus oppositum tradit M. Tapia lib. 1. qu. 6. art. 9. & lib. 2. qu. 1. art. 3. ita multo magis idem actus esse poterit speculative falsus, & practice verus.

N. In forma respondeo repugnare, ut idem indivisibile iudicium sit verum, & falsum, conforme, & disforme, rectum, & erroneum sub eodem genere rectitudinis, non autem sub diverso: sed conscientia invincibiliter erronea est errans, & disformis errore speculative, & disformitate speculative; & est recta, & conformis conformitate sui cum regulis morum; & est vera veritate practica, seu conformis regulis morum, juxta quas dirigit actum voluntatis: ergo conscientia invincibiliter erronea esse potest moraliter recta. Exemplum horologii non est ad rem, & si est, est contra P. Eliz. non est ad rem, quia nulla est paritas inter regulam physicam, & moralem: rectitudo enim indicis solaris consistit in conformitate physica horae cum motu solis, quem signat; moralis autem, ut torres dixi, in conformitate actionis, non ut est in se, sed cum regulis morum: si enim tale iudicium sit aliis conforme, erit practice, & moraliter rectum. An vero duo horologia diverso tempore pulsantia se habeant ut duae opiniones probabiles, legi potest P. Ovied. 1. 2. tr. 5. contr. 4. n. 46. & P. Muboy. nicola d. 30. de Incarn. a. n. 37. immo nos alibi

fuisse; interim satis est P. Moya tom. 2. qu. 9. n. 57. qui plura addit contra horologium toties a P. Eliz. nobis objectum; hoc mihi certum, quod paritas est contra Eliz. ut enim index, vel horologium solare potest esse rectum rectitudine conveniente horologio Hispanico; non autem Italico; rursus potest esse rectum rectitudine demonstrante horas antiquas, sive Judaicas inaequales, non autem rectitudine horarum aequalium, ut videri potest apud P. Cornaeum in Curriculo Philosophia Peripatetica cap. 9. de Horologijs Sciothericis, atque adeo potest esse Hispanicè rectum, non Italicè, Judaicè rectum, non autem Modernè rectum; ita cadè conscientia esse potest speculative erronea, quatenus disformis suo objecto enuntiato; & practice vera, quatenus conformis in dirigendo voluntatem primis regulis morum, juxta quas dirigit. Omitto alia exempla satis obvia: eadem enim linea, vel triangulus potest esse aequalis palmo, & inaequalis comparata cum bipalmo; idemque triangulus esse aequalis comparatus cum alio simili, & disformis comparatus cum dissimili; idemque angulus obtusus est similis alteri obtuso, & est dissimilis angulo acuto; & idem homo est similis equo quoad effectus sentiendi, & dissimilis quoad effectus ratiocinandi: ita in casu nostro.

Ad confirmationem respondeo, quod regulas morum non sunt sola principia Synderesis, & sapientiae Dei directa, nec sola reflexa, sed vel directa, vel reflexa; cum hoc discriminare, quod principia Synderesis, & sapientiae Dei directa sunt regula morum, quoties objectum cognoscitur ut est in se; reflexa autem sunt regula morum, quoties objectum subest cognitioni falsae; atque adeo alia sunt principia morum regulantia conscientia speculative veram, nempe directa, quae per se, & primario intenduntur a natura; alia sunt regulantia conscientiam speculative falsam, nempe reflexa, quae supponunt in nobis errorem, & per accidens intenduntur a natura, videlicet ex suppositione ignorantiae humanae. Velle autem, ut opus sub oppositis, aut diversis circumstantijs reguletur ipsam principijs, est velle prudentiam esse imprudentiam, cum prudentia pro diversitate circumstantiarum diversa habeat principia, ut planum est. In forma distinguo minorem: nulla conscientia speculative, & formaliter erronea est moraliter, & ethice, seu in dirigendo ad opus conformis scientiae Dei reflexae, (idem dicto de principijs Synderesis reflexis) nego minorem; scientiae Dei directae, transeat minor,

P. Cornaeus.

N. 122.

N. 121.

N. 120.

minor, cui tamen non est difformis, licet non sit conformis; & nego consequentiam.

N.
123.

Dixi conscientiam speculative, & formaliter erroneam esse in dirigendo conformem scientiæ Dei reflexæ; patet; quia sicut hoc iudicium Dei reflexum verè dicitur, & dicitur, *Licet obiectum, & actus putatus a creatura invincibiliter honestus, & si sit preceptus, est ponendus*; similiter sicut meum iudicium Synderesis reflexum hoc idem dicitur, *ponendam, & licitam esse actionem putatam invincibiliter preceptam*; ita hoc ultimum iudicium particulare, quod est quasi conclusio, & est ipse actus conscientiæ supponens dictum iudicium universale, ex quo quasi infertur; hoc, inquam, ultimum iudicium, *mentire, ut serves innocentem*, verè dicitur ponendum mendacium, & est conforme practicè, imò inclusum in dicto iudicio universali, *Pone actionem putatam invincibiliter preceptam*; cum hoc discrimine, quod principia Synderesis nostræ, & sapientiæ Dei reflexa sunt, tum speculative, tum practicè vera: speculative, nam est speculative verum, *licere actionem creditam invincibiliter preceptam*; practicè, nam opus positum sub illis iudicijs reflexis est tale, quale esse dicitur illud principium, & iudicium; nempe, est opus honestum, atque adeò conforme practicè illis principijs practicis reflexis, seu dirigentibus.

N.
124.

Econtra illud ultimum conscientiæ dictamen, *mentire, ut serves innocentem*, est formaliter speculative falsum, ut dixi paulò antè, nam falsum est, esse mentiendum; attamen est practicè verum, quatenus est conforme in dirigendo principijs reflexis Synderesis, & sapientiæ Dei supponentibus nostrum errorem; & opus ab eo ultimo iudicio regulatum est conforme, tum tali iudicio practicè vero, tum illis principijs reflexis speculative, & practicè veris.

N.
125.

Breviter: potest ultimum conscientiæ dictamen esse formaliter falsum secundum id, quod repræsentat, & esse verum secundum quod dicitur, ex. gr. esse falsum secundum rationem honesti, quam repræsentat in obiecto ex se inhonesto; & esse verum secundum rationem honesti *formaliter*, seu liciti, quam dicitur; omnis enim operatio voluntatis elicitur sub iudicio, sive vero, sive falso invincibili, quod sit honesta, est licita, & conformis huic regulæ morum, *Omne invincibiliter honestum est licitum*.

N.
126.

Neque verò ulla est inter iudicium Dei directum, & Dei reflexum oppositio, quia non tendunt in idem omnino obiectum, sed in idem obiectum, ut vestitum diversis circumstantijs. Idem dico de iudicio creato di-

recto, & reflexo, inter quæ ob eandem rationem nulla est oppositio. Similiter nulla est oppositio inter volitionem directam, & reflexam, increatam, & creatam: nam iudicium directum, tam creatum, quam increatum dicitur, *non mentire*; reflexum, tam creatum, quam increatum dicitur, *Licet mendacium putatum invincibiliter preceptum*; immò nulla inter iudicium reflexum creatum, & regulam morum directam, sive Dei, sive Syncretis.

Dices: Ultimum conscientiæ iudicium reflexum est, *Licet mendacium*, iudicium autem directum sapientiæ Dei, & Synderesis nostræ est, *Non licet mendacium*; ergo est oppositio. Nego antecedens; nam ad illud ultimum conscientiæ dictamen, *Licet mendacium*, præsupponitur, & subintelligitur, *quod puto invincibiliter preceptum*: sed isti duo actus, *Non licet mendacium, Licet mendacium*, quod puto invincibiliter preceptum, non sunt de eodem sub iisdem, sed sub diversis circumstantijs: ergo nulla est oppositio. Hallucinatur Adversarius, quia non attendit, quod hoc ultimum dictamen conscientiæ, *Licet mendacium*, est iudicium reflexum, & quasi conclusio, includens formaliter, vel supponens in præmissis errorem invincibilem, quem non includit iudicium directum, *Non licet mendacium*; ut enim dixi, ipsa conscientia est quasi consequentia, & est iudicium reflexum, & supponit præmissas, ex quibus infertur, quarum alterutra potest esse falsa; si autem sit falsa, eo ipso subintelligitur error, in quo conscientia fundatur. Quare si res acutè penetreretur, patet mira nostræ doctrinæ harmonia. Primò enim licet conscientia speculative difformis suo obiecto (sive ex eo quia sit formaliter, sive ex eo quia sit tantum præsuppositivè erronea) non sit conformis infallibili sapientiæ Dei *directæ*, & principijs Synderesis *directis*, nam conscientia dicitur, *Licet mendacium*; sapientia autem increata, & creata directæ dicitur, *Non licet*; attamen eadem conscientia speculative difformis suo obiecto, non est *positivè* difformis iisdem principijs directis sapientiæ Dei, & Synderesis. Ratio est evidens, tum quia tunc non repræsentatur lex directæ, ut dixi hic *sect. 1. §. 3.* tum quia ubi mutatur obiectum, nulla est oppositio: sed obiectum conscientie speculative difformis suo obiecto, seu formaliter erronea est, *Licet mendacium creditum invincibiliter preceptum*; obiectum sapientiæ Dei, & Synderesis, utriusque directæ est, *Non licet mendacium cognitum ut verum, & ut est in se*: ergo nulla oppositio: ergo inter conscientiam speculative formaliter

liter difforem suo objecto, & inter principia sapientiae increatae, & creatae nulla est positiva diffinitas.

N.
129.

Patet 2. idem iudicium conscientiae formaliter speculative erroneum, & invincibile esse positivè conforme practice, seu in dirigendo ipsi sapientiae increatae, & creatae reflexus, seu scientiae, quam Deus, & creatura habent de objecto, ut subitane invincibili ignorantiae prohibitionis, & invincibili errori praecepti; sicut enim sequens haec iudicia reflexa sapientiae increatae, & Synderesis dirigitur practice ad executionem operis liciti, nam licet actio invincibiliter putata praecepta, ita sequens illud iudicium formaliter erroneum, *Licet mendacium invincibiliter praeceptum*, exequitur actionem licitam, & ea voluntas mendacii est conformis principijs reflexis Dei, & Synderesis, & ultimo conscientiae dictamini formaliter erroneo; & rursus hoc iudicium est conforme in dirigendo, & dictando ipsidem principijs reflexis; sicut enim haec in universali dictant licere actionem invincibiliter creditam praeceptam, ita tale ultimum conscientiae dictamen dictat licere hanc actionem cognitam invincibiliter ut praeceptam.

N.
130.

Patet 3. cur omnia principia sapientiae creatae, vel increatae, tam directa, quam reflexa sint etiam speculative vera, & non tantum practice; e contra ultimum conscientiae dictamen sit, saepe practice tantum verum, & speculative falsum, ut dixi hoc §. Ratio est; quia ultimum conscientiae dictamen, cum sit quasi conclusio deducta saepe ex maiori, vel minori speculative falsa, consequenter tunc est speculative falsum; hoc enim dictamen, *occide blasphemum*, deducitur ex his praemissis, omne invincibiliter praeceptum est exequendum; quae maior est evidenter tam practice, quam speculative vera: sed occisio blasphemum est invincibiliter praecepta; quae minor est formaliter falsa: ergo blasphemus est occidendus; quae consequentia est speculative formaliter falsa, quia ex minori formaliter falsa deducitur; & est practice vera, quia est conformis in dirigendo huic principio, Occidendus est blasphemus, quoties ejus occisio creditur invincibiliter praecepta. Haec est non adeo facilia, maiori, quam potui, claritate explicui.

N.
131.
Palanc.

Intabis ex Palanco qu. 5. §. 10. n. 156. falsum à nobis supponi, dum supponimus iudicio practico convenire posse falsitatem speculativam; ut enim iudicio practico de agendis convenire non potest veritas speculativa, haec enim propria est iudicii speculativi; ita falsitas speculativa convenire non

potest nisi iudicio speculativo; & est crassissima æquivocatio asserere, quod idem indivisibile iudicium sit practice verum, & speculative falsum; cum enim idem indivisibile iudicium de agendis non possit simul esse speculativum, & practicum, & nihil affirmet speculative, inde est, quod si dicit verum, necessario dicit verum practice; si errat, necessario errat practice; quomodo enim errare, aut verum dicere potest speculative, cum nihil affirmet speculative, aut neget? Ergo est implicatoria nostra distinctio, nempe, quod idem indivisibile iudicium prudentiae sit practice verum, & sit speculative falsum: ergo si iudicium prudentiae est erroneum, est practice erroneum.

N.
132.
Palanc.

Sed contra 1. quia non implicat, ut eadem conscientia sit simpliciter practice falsa, & simul sit practice vera secundum quid, ut docuit idem Palanco n. 74. ergo multo minus, ut sit practice vera, & simul sit speculative falsa, cum diversitas illa sit oppositio, haec autem sit pura diversitas sine oppositione. Contra 2. quia conscientia, ut dixi, est ipsa conclusio syllogismi practici: ergo cum conclusio pendeat a praemissis, quarum una potest esse pure practica, alia pure speculativa, conclusio simul erit practica, & speculativa: ergo nulla repugnantia in hoc, quod idem iudicium sit speculativum simul, & practicum; nulla in hoc, quod quatenus speculativum, sit, aut supponat falsum, quatenus practicum sit verum; haec enim consequentia, ergo mihi licet retinere hanc rem, (quam consequentiam suppono esse dictamen prudens, & simul suppono hanc rem non esse meam) est simul practice vera, quatenus est conformis huic principio morum, cuilibet licet retinere rem, quam putat invincibiliter suam: ergo est practice vera; rursus est speculative falsa, quia illa invincibilitas supponit errorem. Addo, quod aliquid speculative affirmat, & aliquid practice affirmat: quod practice affirmat, est, *Licet mihi retinere hanc rem*; quod speculative affirmat, vel supponit explicitè affirmatum in aliqua praemissa, est, *Haec res est mea*. Vide dicta à n. 104.

§. II.

Quia nulla conscientia erronea est prudens, & practice vera.

S U M M A R I U M.

Omnis actus prudentia est practice verus, est aliquis sit saepe speculative falsus. DD. num. 133. ad 140.

Prudentia numquam potest errare practice, 137. Non

Non debet actus, ut prudens sit, esse elicitive à prudentiâ, satis si imperative, n. 138.

Potest etiam defendi, quod omnis actus prudentiæ sit speculative verus; at mutande tunc præmissæ, & qualiter formandæ, n. 139.

Dictamen erroneum est conforme legi Dei reflectæ; nec ex hypothese quod malum iudicetur bonum, absurdum est quod Deus jubeat quod in se malum est, n. 140. ad 147.

Quale sit objectum proximum, quale remotum conscientia invincibiliter falsæ? n. 141.

Expono quid sit veritas logica, quid practica, & conformitatem utriusque cum suis objectis, ibid.

Do regulas, quibus conscientia conformatur, n. 142.

Ut conscientia sit practice vera, debet tam dictamen dirigens, quam volitio ab hoc directæ esse morum regulis conformis, n. 143.

S. Thom. ait, quod voluntas discordans à ratione, sive erronea, sive recta, sit semper mala, n. 148.

Datur lex sequendi rationem invincibiliter errantem, ibid.

Ultimum dictamen est regula proxima operandi, cui parere tenemur, non iudicium Dei de re, ut est in se, n. 149.

N. 133. **O**bjicies 2. Omnis conscientia moraliter recta debet esse certò prudens: sed nulla speculative falsa est certò prudens: ergo nulla talis est moraliter recta. Minor probatur; quia nullus actus prudentiæ potest esse falsus.

N. 134. **R**espondeo 1. retorquendo; nam idem P. Eliz. lib. 2. qu. 8. §. 5. pag. 90. ait: *Vir gravis, & fide dignus tibi aliquid refert, nil prudentius;* sed potest referre aliquid falsum: ergo dari potest assensus prudens falsus. Rursum retorquetur in eo, qui putat aliquid quod est de fide, non esse tale, & illi objecto dissentitur; ecce talis dissensus est prudens, & est falsus: ergo dari potest dissensus falsus prudens. Est igitur argumentum ab omnibus solvendum, tum ubi de *Virtutibus*, tum specialiter in tr. de *Fide*. In formâ nego minorem; ad probationem nego antecedens; dico enim quod nullus actus prudentiæ potest esse practice falsus, potest tamen esse speculative falsus, ut dixi *sect. 4. in object. 7.* ex M. Merco, M. Baro. P. Moya, quibus addo S. Thom. 2. 2. qu. 47. P. Ripalda d. 6. de *Fide* n. 93. Herinx tom. 3. d. 1. de *Virt.* Cardin. P. Rip. n. 4. P. Teril. qu. 16. n. 40. P. Ovied. 1. 2. tr. Heru. P. Teril. 3. contr. 2. pun. 5. per totum, P. Suar. 1. 2. d. 3. P. Onie. *sect. 3.* Ratio est; quia prudentia est recta ratio agibilium, recta, inquam, rectitudine convenientie sui cum primis regulis mo-

rum; non autem est recta rectitudine speculative logicæ conformitatis cum objecto, quod speculative repræsentat; ut ergo operatio sit honesta, satis est, ut dictamen, & ratio dirigens ad illam sint practice vera, veritate conformitatis sui cum primis regulis morum, non aliâ veritate conformitatis sui cum objecto, quod repræsentat. Patet hoc experientiâ; hic enim actus Jacob, *Hec est Rachel*, ergo ad eam mihi licet accedere, est speculative falsus circa conditionem mulieris, nam erat Lia, non autem Rachel; & est practice verus, quatenus conjunctus illi suppositioni falsæ erat conformis primis regulis morum.

Idem patet in artibus, quarum dictamen N. practicum potest simul esse speculative falsum circa naturam objecti, & practice verum in dirigendo voluntatem ad opus juxta regulas artis, ex. gr. hoc corium est durius, ergo pro soleis ponendum; hic ensis flexibilior, & agilior, ergo pro duello utilior; hi, inquam, actus possunt esse speculative falsi, potest enim ille ensis non esse flexibilior, & corium illud non esse durius; hoc tamen errore supposito, adhuc sunt practice veri, quia & ille est conformis in dirigendo ad duellum præceptis artis gladiatoriæ, & iste est conformis in dirigendo ad structuram calcei præceptis artis sutoriæ. Potest ergo N. prudentia errare speculative circa opus, 137. numquam tamen practice, quia licet circumstantiæ operis sint fallibiles, atque adeò in earum repræsentatione intellectus errare possit, attamen dictamen prudentiæ reflexum semper est evidens, nempe positus talibus circumstantiis honestum est operari: ergo prudentia numquam errat in dirigendo ad opus, etsi erret in repræsentando naturam talis operis.

Addo, quod ut aliquis actus sit prudens, N. non est necesse, ut sit elicitive à prudentiâ, 138. satis est, ut sit imperative ab illâ, & toties talis erit, quoties morum regulis, seu prudentiæ conformis erit, id est, quoties fuerit ex gravi fundamento; & ideo omnis opinio probabilis, quia est, ut suppono, ex gravi fundamento, dicitur prudens. De hoc argumento prolixus erit sermo, ubi de opinione probabili; & quæ modo dixi, satis sunt ad argumenti solutionem.

Quod si ad maiorem doctrinæ ubertatem N. amplius aliquid dicere placeat, dicere possum (etsi necessarium non sit ad argumenti solutionem) quod omnis actus prudentiæ sit etiam speculative verus, ut alibi insinua- bo; hic enim actus prudentiæ, *honestum est accedere ad hanc mulierem*; vel hic actus, *Tobias*

M. Mer. M. Bar. P. Moy. S. T. P. Rip. P. Teril. P. Onie. P. Saad.

Tobias non habuit canem, non deducitur ex his præmissis, accedere ad propriam est honestum, hæc mulier est propria, ergo honestum est ad eam accedere: nam hæc conclusio est speculative falsa, quia minor est talis; sed ea conclusio prudentialis, & illud prudens dictamen conscientie deducitur ex his præmissis, accedere ad mulierem putatam invincibiliter propriam est honestum, hæc mulier invincibiliter putatur propria; ergo est honestum ad eam accedere: ecce utraque præmissa, quia est evidenter vera speculative, conclusio etiam, quæ est ipsamet dictamen prudens conscientie, est etiam speculative vera; licet enim sit ex se falsum præsciendū ab errore invincibili, quod sit honestum accedere ad illam, attamen si ipse error supponatur non esse error, sed veritas, verum omnino etiam speculative est; quod sit honestum accedere ad mulierem putatam ex errore invincibili propriam. Similiter ille actus, *Tobias non habuit canem*, non deducitur ex his præmissis, quidquid Deus dicit, est verum, Deus dicit Tobias non habuisse canem, ergo verum est, Tobias non habuisse canem; ea enim minor est hæretica, cum Deus dicat, Tobias habuisse canem; sed ex his: Quidquid mihi apparet invincibiliter ut dictum à Deo est verum, sed mihi invincibiliter apparet, ut dictum à Deo, quod Tobias non habuerit canem, ergo mihi verum est, quod Tobias non habuit canem: ecce utraque præmissa est evidens; ergo etiam conclusio, licet enim sit absolute falsum, Tobias non habuisse canem, (habuit enim) attamen respectu mei verum est, non habuisse. Hæc obiter. Moneo tamen primam solutionem utendum, dicendo satis esse ad actum prudentie, ut sit practice verus, nec necesse esse, ut speculative verus sit. Ratio est; quia communiter syllogismi non solent ita formari, immò nec est facile cuilibet ita formare syllogismum, ut ejus conclusio, seu dictamen prudens conscientie sit etiam speculative verum; quare prima solutio est faciliior, & expeditior; altera difficiliior, & fortè verior. Vide P. Oviedo l.c. n. 54. & in tr. de Fide, P. Ripald. C. de Lugo, P. Bernal, P. Compton. utrumque Hurtado.

Obijes 3. Veritas in genere est conformitas cognitionis cum objecto: ergo etiam veritas practica: sed omnis formaliter erronea est difformis suo objecto: ergo nulla conscientia formaliter erronea est practice vera; ergo nulla talis est moraliter recta. Confirmatur: quia erroneum dictamen conscientie non est conforme legi æternæ, si enim esset conforme, Deus juberet indirectè actus in-

Tom. I.

trinscè malos, & homo mereretur peccando, ex.gr. meritiendo, & Deus speciali auxilio concurreret ad volitionem mendacij, furti, &c. si hæc objecta putentur invincibiliter præcepta, quo nil absurdius: ergo conscientia erronea non obligat.

Respondeo distinguendo antecedens: Veritas est conformitas cognitionis cum suo objecto proximo, concedo antecedens; remoto, nego antecedens, & consequentiam juxta eandem distinctionem. Ad subsumptum distinguo minorem: omnis conscientia formaliter erronea est difformis suo objecto remoto, quod speculatur, concedo; proximo, quod dicitur, & dirigit, nego. Adverte, quod hæc cognitio, *Dic mendacium putatum præceptum*, habet pro objecto remoto rationem liciti, & præcepti; speculans enim naturam electionis mendacij apprehendit illam invincibiliter ut licitam, aut præceptam; & quoad hoc ea cognitio practica, seu dictamen practicum est falsum, nempe quoad electionem mendacij, aut cujusque alterius operationis; pro objecto autem proximo habet conformitatem talis electionis mendacij dictatæ ut licitæ, aut præceptæ cum regulis morum; & quoad hoc ea cognitio practica est vera practice. Dixi enim quod veritas pure speculativa (omnis autem cognitio practica præter speculationem importat modum tendendi practicum, seu dictamentem, & dirigentem voluntatem ad talem electionem) sumitur ex conformitate actus cum suo objecto, ejus naturam in genere moris pure repræsentat; practica autem sumitur ex conformitate actus conscientie, & volitionis, ad quam conscientia dirigit, cum regulis morum; conscientie quidem, quatenus in dirigendo voluntatem ad electionem talis objecti, ipsa conscientia se ipsam illis regulis directivis conformat; ut enim regula dicitur in genere eliciendum opus putatum invincibiliter præceptum, ita conscientia dicitur in particulari eligendum mendacium putatum invincibiliter præceptum; electionis autem, quatenus ea volitio, seu electio directæ à conscientia est conformis tum dictamini conscientie, quæ est prima regula formalis ipsius moralitatis, tum regulis morum, quæ sunt regula objectiva ejusdem moralitatis; quapropter veritas practica non consistit in conformitate actus cum objecto remoto, quod pure speculatur, sed cum objecto proximo, seu volitione, quam dirigit, & dicitur juxta regulas morum; ut enim dixi §. antecedenti initio, immò hoc ipso §. passim, veritas practica est conformitas sui cum regulis morum, juxta quas dirigit volitionem; & volitionis

R cum

cum se ipsa, & ipsis regulis directivis.

N. Porro regulæ moralitatis dirigentes ad
142. opus, seu electionem, quarum comparatione
conscientia est in dirigendo moraliter recta,
seu practice vera, sunt: *Nulla lex non cognita
obligat: Honestum est sequi dictamen conscientia
invincibiliter erroneum: Objectum, cuius mali-
tia latet, & cuius honestas invincibiliter appa-
ret, est licitum: Omne à Deo preceptum est exe-
quendum; & similes cuique obvia.*

N. Cur autem dicimus, quod tam actus con-
143. scientiæ dirigens, quam opus voluntatis à
conscientiâ directum, debeant esse conformia
dictis regulis, ut conscientia sit moraliter re-
cta, seu practice vera: ratio est; quia in tan-
tum omne dictamen practicum de opere ar-
tificiose ponendo dicitur practice verum, &
rectum, in quantum illud dictamen, & illud
opus sunt conformia regulis artis dirigenti-
bus: ergo etiam eatenus conscientia dicta-
men de opere ponendo erit practice verum,
& moraliter rectum, quatenus tale dictamen
in dirigendo voluntatem ad opus, seu voli-
tionem se primis regulis conformat.

N. Hinc facile constat, quomodo idem indi-
144. vidualibile conscientia dictamen de tali electio-
ne possit esse in representando naturam talis
electionis, & objecti voliti, esse, inquam,
falsum circa honestatem, aut inhonestatem
electionis, & objecti, quæ representat, quin-
tamen detur error oppositus regulis morali-
tatis; imò dirigit voluntatem ad volitionem
objecti juxta regulas moralitatis; ut enim re-
gula dicitur ponendum opus honestum, ita
ultimum conscientia dictamen de electione
putatà per errorem honestà dicitur eam po-
nendam.

N. Ad confirmationem nego antecedens, quod
145. non sit conforme legi æternæ Dei reflexe; ad
probationem dico nullum esse inconveni-
ens, quod Deus indirecte, & per accidens jubeat
aliquid intrinsece malum apprehensum, ut
bonum, immò tunc præcipit bonum: rursus
nullum est inconveniens, quod homo tunc
mereatur mentiendi, nam meritum, & præ-
mium attenditur juxta voluntatem operan-
tis; voluntas enim eligens opus malum ap-
prehensum ut bonum, bene operatur, & Deus
ad talem mendacij electionem concurrat au-
M. Mer. xilio speciali, ut bene Mercor. 1. p. pag. 14.
art. 6. Vide quæ dixi sect. 2. §. 1.

N. Dices: Omnis conscientia speculative evi-
146. denter vera est simul moraliter, seu practice
vera: ergo omnis speculative falsa est practi-
ce falsa. Concedo antecedens, & nego con-
sequentiam: ratio est; quia si est evidenter
vera, seu si est evidens quoad honestatē ob-
jecti, utique est practice vera, seu apta facere

voluntatem rectam, nempe conformem re-
gulis morum; ut autem consequentia teneat,
debet loqui de conscientia evidenter specula-
tive falsa; hanc enim concedo esse etiam pra-
ctice falsam, non autem in genere, quia, ut
constat ex dictis, potest conscientia specula-
tive falsa esse practice vera, & speculative
vera esse practice falsa.

Objicies 4. ex M. Baro d. 2. Ethicæ Chri-
stianæ loco 16. §. 9. S. Thom. sentit, quod qui
147. discedit à veritate est reus peccati: ergo non
licet sequi conscientia dictamen erroneum.
S. Tho. Respondet, à veritate certo cognita, non au-
tem à veritate incerto cognita.

Dices: Dictamen erroneum non potest li-
N. gare conscientiam: ergo &c. Nego antece-
148. dens; quia ut liget, satis est, ut proponat ob-
jectum, ut conforme legi Dei, & ut præcep-
tum, ut dixi hic sect. 1. §. 3. Addo ex P. Thy-
P. Thy. lo tom. 4. d. 6. sect. 5. n. 39. omnes T. T. cum S. Th.
S. Thom. 1. 2. q. 19. art. 5. docere, quod volun-
tas discordans à ratione, sive recta, sive errante,
semper est mala; cur autem, nisi quia vitium
est voluntati discordare à ratione, etsi erran-
te? nam nihil est malum, nisi quia vel in se est
malum, vel saltem est vitium: ergo datur
obligatio sequendi rationem etsi errantem.

Instabis: Operans contra conscientiam er-
N. rantem operatur conformiter ad dictamen
149. intellectus Divini aliter de re judicantis; er-
go non operatur male. Nego antecedens;
quia, ut bene Herinx tom. 2. d. 4. n. 8. ipse Di-
vinus intellectus judicat nos non posse ope-
rari contra dictamen conscientia; non enim
judicium Dei de re, ut est in se, est regula
proxima nostræ actionis, sed nostrum ulti-
mum judicium est talis regula, & huic tene-
mur conformari.

SECTIO V.

Argumenta Palanci.

§. I.

Quia implicat, ut conscientia erronea sit recta, &
ut volitio ab eâ regulata sit honesta.

SUMMARIUM.

S. Thom. an neget, quod actus concordans ratio-
ni false sit honestus, n. 151.

Argumenta Palanci, à n. 151. ad 160.

Quia conscientia erronea nequit esse recta, 152.

Quia nulla conscientia erronea est prudens, n.

153.

Quia volitio rei male non est conformis appetitui
recto, n. 154.

Quia Deus non tantum vetat cognita ut ve-
rita, sed etiam non cognita ut vetita, num.

155.

Quia